# EXERCITATIONES
## GRAMMATICO-HISTORICO-CRITICAE
## DE
## LITTERIS. HVMANIORIBVS



**OLISIPONE**
TYPIS. REGIAE. OFFICINAE

ANNO. CIƆ. IƆ. CC. LXXV
*Cum bona Regiae Curiae Cenſoriae pace.*

L.
3206||14A

13206

INVICTISSIMO. AMPLISSIMOQVE. DOMINO
SEBASTIANO. IOSEPHO. CARVALLIO. MELLIO
OEYRENSI. COMITI
MARCHIONI. POMBALII
IOSEPHI. PRIMI. REGIS. MAXIMI
INTIMO. ADMINISTRO
ATQVE
A. SANCTIORIBVS. CONSILIIS
LEGVM. DIVINARVM. HVMANARVMQVE
AC. REGIAE. AVCTORITATIS. POTESTATISQVE
ADSERTORI. FORTISSIMO
LVSITANIAE
ROBORI. ET. ORNAMENTO
OPTIMO. VIRO
DE. PATRIA. BENE. MERENTI
QVI
A. SOLO. SPLENDIDIVS. REGIA. VRBE. RESTITVTA
PROSTRATIS. AC. SVB. IVGVM. MISSIS
DIVINO. QVIDEM. CONSILIO
REGNI. IPSIVS. ETIAM. PARENTIS. PATRIAE
INTESTINIS. EXTERNISQVE. HOSTIBVS
INSTAVRATIS. VBIQVE. MVSARVM. SEDIBVS
COMMERCIO. VLTRA. CITRAQVE. INDIES. AVCTO
HOMINVM. MORIBVS. AD. OFFICIVM. REDACTIS
SALVBERRIMIS. LEGIBVS. LATIS
CIVIVM. TRANQVILLITATE. FIRMATA
AC. PACE. CONCILIATA
IMPERIO. OPIBVS. LOCVPLETATO
ET
NOVIS. TERRA. MARIQVE. PRAESIDIIS. MVNITO
SIBI. LVSITANIS. TOTOQVE. REGNO
IMMORTALE. NOMEN. ET. GLORIAM
COMPARAVIT
D. C. O. S

*ANTONIVS. SOVSIVS. FALCONIVS. COVTINIVS*
*ANTONIVS. XAVERIVS. GAMA. LVPVS*
*DOMINICVS. NEPOMVCENVS. MELLIVS*
*EMMANVEL. CAESAR. MELLIVS. SILVIVS. MENESIVS*
*FERDINANDVS. XAVERIVS. GAMA. LVPVS*
*GOMESIVS. FRERIVS. ANDRADIVS. CASTRIVS. FORIASIVS*
*IOSEPHVS. CAESAR. MELLIVS. SILVIVS. MENESIVS*
*D. MICHAEL. SILVIVS. PESSANHA*

*APVD. REGALE. NOBILIVM. COLLEGIVM. ALVMNI*

E 7/2

*Si ergo neque pluris conſtet, neque temporis, aut operis maiorem modum expoſcat elegantiae, quam ruſticitatis ſtudium, quae pertinacia, imo quae ſtultitia ingenii, excellentiam et lumen inquinato verborum pondere et tenebris obruere et obſcurare.*

Petrus Burmannus in Oratione *de publici Humanioris Diſciplinae Profeſſoris proprio Officio, et Munere.* Ex edit. Lugd. Bat. 1715. pag. 24.

*Latina Lingua longe infra multorum officium longeque ſecius, quam decet ac par eſt, et ad eruditionem promovendam ſive commoditas, ſive neceſſitas expoſcit. Ita quippe puritas et elegantia ſermonis ejus negligitur, ut propria quoque vocum ſignificatio a quamplurimis ignoretur.*

Valerius Henricus Voglerus Diſſertatione V. *De Naturali in Bonarum Doctrinarum ſtudio propenſione, delectu ingeniorum,* &c. Helmſt. 1672. pag. 36.

# EXERCITATIONES
# GRAMMATICO-HISTORICO-CRITICAS

DE

ROMANA. LINGVA

LITTERISQVE. HVMANIORIBVS

QVAS. EXPENDENDAS. SVSCIPIVNT

DVCE

## IOACHIMO. IOSEPHO. COSTIO. SA

*ROMANARVM. LITTERARVM. REGIO. PROFESSORE*

IN. EODEM. REGALI. NOBILIVM. ADOLESCENTVM. COLLEGIO

Die 17 hujus Menſis hora 2a pomeridiana.

PROLVSIONIS. LOCO. ERIT. ARGVMENTO

*Quantum apud Auguſtiſſimum Regem IOSEPHVM Primum ac Maximum, Bonarum Artium in Luſitania Conditorem atque Fautorem valeat ad Litteras inſtaurandas, mores emendandos, Luſitanumque Imperium augendum atque amplificandum, Invictiſſimi Domini Marchionis Pombalii praeſidium, auctoritas, virtus, animique magnitudo?*

# PARS PRIMA
## *DE GRAMMATICA*

### § I

### *De Grammaticae Origine.*

PRIMVM omnium ex ([a]) Suetonii ([b]) Quintilianique doctrina ac praeceptis dicendum erit de *Grammaticae Origine*, ejusque ([c]) *Notatione*; in quo ad amuſſim obſervabimus

(a) Suetonius Lib. *De Illuſtrib. Grammat.* Cap. I.
(b) Quintilianus Lib. I. *Inſtit. Orat.* Cap. IV. et Lib. II. Cap. I.
(c) Cicero *in Topicis*, C. VIII. et *de Orat.* C. III.

(d) Cicer. Lib. III. *de Finibus*, Cap. II.
(e) Quintilianus loco ſuperius memorato.
(f) Suetonius ibidem.
(g) Sanctius *in Minerva*, Lib. I. Cap. I. et II.
(h) Scioppius *in Grammatica Philoſophica.*
(i) Periſonius ad *Sanctii Minervam.*
(k) Nepos in Libello, cui titulus eſt *de Grammaticis.*
(l) Varro *de Ling. Lat.*
(m) Diomedes Lib. II.
(n) Seneca Epiſt. CXI.
(o) Quintilianus Lib. I. *Inſtitut. Orat.* Cap. II. et Cap. IX.
(p) Suetonius Lib. *de Illuſtribus Grammaticis.*

quidquid a (d) Cicerone, (e) Quintiliano, (f) Suetonio, (g) Sanctio, (h) Scioppio, (i) Periſonioque de *Re Grammatica* commendatur.

## § II

## *De Grammaticis eorumque Officio.*

QVOD ſit Grammaticorum officium ; in quo *Litteratus* ab *Erudito* differat, ad (k) Nepotis mentem exponemus ; et qui etiam Grammaticorum numero ſint recenſendi. Omnia haec (l) Varronis, (m) Diomedis, (n) Senecae, (o) Quintiliani, (p) Suetoniique teſtimoniis confirmabimus.

## § III

## *De Grammaticae diviſione, fine, ejusque partibus.*

(q) Quintilianus Lib. I. *Inſtit. Orat.* Cap. IV.
(r) Diomedes *de Re Grammatica.*
(s) Voſſius *de Inſtit. Grammat.*

QVVM ad quamlibet artem rite pernoſcendam atque addiſcendam quammaxime conferat ejus naturam, diviſionem, finem, et partes callere ; ea de cauſſa prius in Certamine exponendum erit (q) *Grammaticam eam eſſe artem recte loquendi* ; ex (r) Diomedis (s) Voſſiique ſententia dividi in *Horiſticen*, id eſt, *finitivam*; et *Exegeticen*, hoc eſt, *enarrativam*; ſed communius vero in *Etymologiam* ſeu *Analogiam*, *Proſodiam*, *Syntaxin*, *Ortographiamque.*

(t) Quintilianus Lib. I. *Inſtit. Orat.* Cap. VII.
(u) Suetonius *de Auguſto.*

Quod *Horiſtices*, *Exegetices*, *Etymologiae*, ſeu *Analogiae*, *Proſodiae*, *Syntaxeως*, *Ortographiaeque* ſit Officium, (t) Quintiliani (u) Suetoniique auctoritate ac praeceptis muniti explicabimus ; id quoque Grammaticorum principum, utpote Sanctii, Scioppii, Periſonii, Cellarii, Samuelisque de Prat doctrina enucleabitur.

Quum

Quum de *Etymologia* fuerit interrogatum, ſilentio haud erit praetereundum omnia praecepta de *Origine*, *Inflexione*, ceteriſque *Nominum*, *Verborumque*, ac *Orationis partibus* demonſtrare. Ad haec illuſtranda ([x]) Quintiliani, ([y]) Gellii, ([z]) Varronis, quinimo ([aa]) Sanctii, atque ([bb]) Scioppii teſtimonia in medium proferemus.

Eadem quoque a nobis ratio ſervanda erit, quum de *Proſodia* fuerimus interrogati. Tunc enim de *Metaplaſmo*, ſeu *Schematiſmis*, ut ([cc]) Cicero, ([dd]) Quintilianus, ([ee]) Chariſius, ([ff]) Diomedes, ([gg]) Voſſius nos docent; de *Protheſi* videlicet, de *Epentheſi*, de *Metatheſi*, de *Aphaereſi*, de *Apocope*, de *Syncope*, ſumus dicturi; ejusque definitiones puro vernaculoque ſermone dabimus.

Si verſuum naturam, proprietatem, ſcanſionemque a nobis explicandam efflagitaverint; non tantum ea demonſtrabimus in Horatii Carminibus atque Virgilii; ſed etiam quid ſit *Diaereſis*, *Synaereſis*, *Syſtole*, *Diaſtole*, *Synaloephe*, et *Ecthlipſis*; quumque ſint uſurpandae Luſitano ſermone a nobis planum fiet.

Quum de *Syntaxi* ſimus acturi; primum de diviſione, ſecundum de ejus fine, id eſt, *de debita orationis partium inter ſe Compoſitione*, ſeu *Conſtructione*, quam *Regularem* ſeu *Naturalem* Syntaxin vocamus, exponemus. In his exponendis ([hh]) Ciceronis, ([ii]) Quintiliani, ([kk]) Sanctii, ([ll]) Scioppii, aliorumque Grammaticae Primorum praecepta illuſtrabimus.

Atqui ([mm]) *Syntaxis* eſt *Regularis*, vel *Irregularis*, ſeu *Figurata*; ideo *Irregularem* ſeu *Figuratam* ex praeceptis Sanctii, Voſſii, Periſonii, Scioppii, Guntheri, aliorumque proponemus.

De Figuris, quae Romanorum Scriptorum exemplis et uſu comprobatae vulgo ([nn]) ſolent accipi, men-

(*x*) Quintilianus Lib. I. *Inſtitut. Orat.* Cap. VI.

(*y*) Gellius *Noct. Attic.* Lib. XVIII. Cap. IV.

(*z*) Varro L.L. Lib. VI. Cap. I.

(*aa*) Sanctius *in Minerva*, Lib. I. Cap. II. et III.

(*bb*) Scioppius *in Grammat. Philoſophica.*

(*cc*) Cicero *in Bruto*, C. XXXVII.

(*dd*) Quintilianus Lib. I. *Inſtit. Orator.* C. VIII.

(*ee*) Chariſius initio Lib. IV.

(*ff*) Diomed. pag. 446. et 449. ex Edit. Putſchii.

(*gg*) Voſſius Lib. V. *Orat. Inſtitut.* Cap. I.

(*hh*) Cicero *ad Atticum*, Ep. 16. Lib. XIII. et Ep. 14. Lib. XV.

(*ii*) Quintilianus Lib. I. *Inſtit. Orat.* Cap. IV.

(*kk*) Sanctius *in Minerva*, Lib. III. *de Conſtructione*, Cap. I. et ſeq.

(*ll*) Scioppius *in Grammat. Philoſophica*, quum agit *de Syntaxi.*

(*mm*) Videantur, quae de Syntaxeως Latinae praeceptis apud Walchium diſputantur C. IV. *de Gram.* §. XXX.

(*nn*) Sanctius *in Minerva*, Lib. IV. *de Figur. Conſtructionis*, Cap. I. Sciopp. *in Grammatica Philoſoph.* de *Syntaxi Irregulari.*

mentio a nobis fiet ; rejectis quidem quamplurimis aliis, quippe quae ſint monſtroſi Grammaticorum partus. His de cauſſis Luſitano ſermone explicabimus quid ſit *Enallage* ſeu *Antiptoſis*, *Pleonaſmus* ſeu *Parelcon*, *Ellipſis*, *Zeugma*, *Syllepſis*, *Hiperbaton*, *Helleniſmus*, ſeu *Graeciſmus*, *Archaiſmus*.

De *Ortographia* etiam ea a nobis dicenda erunt, quae ex (oo) Quintiliano (pp) Suetonioque excerpſimus.

His poſitis ad (qq) Walchii (rr) Sanctiique doctrinam, quibus praeſidiis atque notionibus recta loquendi et ſcribendi ratio, verus Latinitatis guſtus, quam ex Romanorum Libris haurire contendimus, poſſit comparari, ut ad Latini Sermonis elegantiam, ſimplicitatem, ac nitorem accedamus, erit enodandum. Ad quem finem adſequendum demonſtrabimus, quammaxime conferre exercitationem diutinam, exemplum, obſervationem, imitationemque Romanorum Scriptorum; idque prudentioris Critices praeeunte ſtudio.

## § IV

## *De Grammaticae Expoſitione, Latinique Sermonis Obſervatione.*

QVo rectius uniuſcujusque Scriptoris Libros et Opera interpretari poſſimus, ſive *ad ſenſum*, ſive *ad litteram*, videlicet *ad rectam Orationis Compoſitionem*, primum a nobis breviter, ducentibus quidem doctiſſimis Hominibus, nimirum Luſitanis noſtris (ss) Antonio Pereria Figueiredio, Regiae Curiae Cenſoriae Decemviro Ordinario, et Reſendio, (tt) Walchio, (uu) Voſſio, (xx) Heineccio, (yy) Noltenio, (zz) Geſnero, aliisque optimae ſane doctrinae, breviter eorum mores deſcribemus; quave aetate, quove

(oo) Quintilianus Lib. I. *Inſtit. Orator.* Cap. VII.

(pp) Sueton. *de Auguſto.*

(qq) Walchius *Prolegom. Hiſtor. Critic.* §. V. *De Philologiae Indole.*

(rr) Sanctius loco ſuper. memorato.

(ss) In *Opuſculis Grammaticis.*

(tt) Walchius *in Diatribe Philoſophica de Litteris Humanioribus*, §. III. et *Prolegomen. De Philologiae Indole*, §. V. et Cap. XIII. *De Obſervatione Latinae Linguae*, §. II. III. et ſeq. et Cap. VI. *De Lectione, atque Interp. Auct. Latin. Ling.*

(uu) Voſſius *in Inſtit. Grammat.* et *Orator.*

(xx) Heineccius *in Fund. Stil. Cult.* Part. I. Cap. I. n. XII. et ſeq.

(yy) Noltenius in Orat. *de Hodierno Ling. Latinae Cultu negligentiori.*

(zz) Geſnerus ad Heineccium, locis ſupra memoratis.

ve loco floruerint, hiſtorico potiſſimum indicabimus ſtilo.

Interpretandos primum ſeſe offerent quatuor primi Julii Caeſaris Libri *de Bello Gallico*; de unoquoque etiam brevem expoſitionem claramque notitiam elucubrabimur; et primi duo ejuſdem Imperatoris Libri *de Bello Civili Pompeiano*; Ciceronis *Epiſtolae*, quae vulgo *Familiares* adpellantur; Nepotis etiam *Vitae Excellentium Imperatorum*, eaeque ad temporum rationem, locorumque geographicum ſitum expendendae; qua de cauſſa enucleate ([aaa]) Petri Johannis Olivarii Definitiones aliquot geographicas proponemus; quin etiam Titi Livii Patavini Liber primus *Hiſtoriarum ab Urbe Condita*; Eutropii *Breviarium Hiſtoriae Romanae*; Terentii *Andria*; et haec memoriter erit agenda, Luſitano quoque ſermone; Horatii tres primi *Odarum* Libri; Virgilii duo primi *AEneidos Libri*; atque in his omnia obſervatu digna, exemplis enodabimus, patrioque ſermone illuſtrabimus.

([aaa]) Apud Pomponium Melam ad calcem Lib. II. Tom. I. pag. 321. ex Editione Abrahami Gronovii. Lugduni Batavorum ann. 1748.

# PARS SECUNDA

## *DE. LITTERIS. HVMANIORIBVS*

QVVM de ([bbb]) *Litteris Humanioribus*, quas et *Elegantiores* et *Politiores* adpellamus, diſputandum a nobis ſit; quumque earum nomina a Romanis acceperint Maiores noſtri, nobisque tradiderint; in eisque multiplex variaque verſetur eruditio; ad quam comparandam omnes induſtriae nervos contendimus, ut ne nimis jejuni, aut omnino ſicci Eloquentiae principatum, aliorumque ſtudiorum rationem ingrediamur absque ea litterarum eru-

([bbb]) Graviſſime *de Litteris Humanioribus* olim diſſeruerunt viri ſane doctiſſimi; in his Jo. Wowerus *de Polymath.* Lipſ. 1668. Gronov. *in Theſ. Antiquit. Graec.* Herm. Conrigius *in Diatribe de Studiis Liberalib. Urbis Romae*: Cellarius *Diſſ. de Studiis Roman. Litt.* &c. Hal. 1698. Aulus Gellius

Lib. XIII. *Noct. Atticar.* C. XV. et XVI. Cicero *pro Arch.* n. 3. 4. etiam quae in hunc locum illuſtrandum eſt elucubratus Paullus Manut. conferantur. Videndæ quoque *Diſſ. Weitzii* et *Dilherri*, et *Philippi Caroli Animadv. in Aul. Gellium*, Lib. XIII. *Noct. Attic.* C. XV. Cicero *pro Marco Coelio*, et *ad Diverſos*, Lib. IV. Ep. 4. et 15. Velleius Paterculus Lib. I. Cap. XIII. 3. et Lib. II. Cap. LIX. 4. *de Auguſt.* Ger. Joan. Voſſius *de Philologia* Cap. I. §. 7. Cicero Lib. V. *de Finibus Bonorum & Malorum*, Cap. XVIII. Walch. *Diat. Philoſ. Litt. Hum. Prolegom.* §. II.

(ccc) Walchius *in Hiſtor. Critic. Ling. Lat.* Cap. IX. et X.

(ddd) Heineccius *in Fund. St. Cult.* Part. III. C. I. Noltenius *in Indice Synctatico*, quum *de Quatuor Ling. Lat. AEtat.* earumque *Scriptoribus.*

eruditioniſque ſupellectile, quae Ingenuis Nobilibusque Adoleſcentibus cenſeatur digna: his de cauſſis vernaculo quidem ſermone aliqua *Praeludia* doctiſſimorum Hominum teſtimoniis comprobata contexemus; eaque ex memoria recitabimus.

## PROLOQVIVM

In quo ratio expendetur ad conſequendam optimae puraeque Latinitatis indolem atque ſupellectilem.

## PRAELVDIVM I

De quatuor praecipuis Latini Sermonis *AEtatibus*; ſpeciatim de *Aurea*, ejusque Scriptoribus ediſſerendum erit; atque haec omnia (ccc) Walchii, (ddd) Heinecciique teſtimoniis comprobabimus.

## PRAELVDIVM II

De *AEtate Argentea*, atque ejus Scriptoribus eadem ſervata ratione dicendum erit.

## PRAELVDIVM III

De *AEtate* etiam *AEnea* ejusque Scriptoribus ſermo erit inſtituendus.

## PRAELVDIVM IV

De *AEtate Ferrea* atque ejus Scriptoribus diſputabitur.

## PRAELVDIVM V

Quantum ſibi Nomen comparaverit Auguſtiſſimus Rex IOSEPHVS Primus in Optimarum Artium Inſtauratione, demonſtrabimus; ac memoriam Luſitanarum Rerum altius repetemus, ducti quidem ſplendida (eee) *Deductionis Chronologicae et Analyticae* doctrina.

(eee) Deduct. Chronol. & Analyt. *Diviſ.* I. §. 10. et ſeq. et *Diviſ.* II. §. 16. et ſeq. atque etiam *Diviſ.* III. §. 62. et ſeq.

PRAE-

## PRAELVDIVM VI

Ut planum fiat, ex quibus fontibus (fff) Romanus ſermo derivetur; de primigeniis quoque Linguis breviter inquirendum, atque earum indolem reſtitutionemque apud Luſitanos hiſtorico quidem ſtilo deſignabimus.

## PRAELVDIVM VII

Graecae Linguae neceſſitas breviſſime inculcabitur.

## PRAELVDIVM VIII

De Romana Lingua agemus; atque *Verborum Familiarium tum Luſitanorum*, *tum Latinorum Collectionem*; atque etiam *Exercitationes Latinae atque Luſitanae Linguae*, quas olim in uſum Scholaſticorum eſt elucubratus doctiſſimus Vir P. Antonius Pereria, in alterni quidem ſermonis ſpeciem efferemus.

## PRAELVDIVM IX

De (ggg) *Idiotiſmis Latini Sermonis* propriis atque impropriis verba faciemus.

## PRAELVDIVM X

Quid ſit (hhh) *Neoteriſmus*, (iii) *Soloeciſmus*, atque *Barbariſmus* ex Quintiliani Ciceroniſque ſententia judicium feremus.

## PRAELVDIVM XI

Denique de (kkk) *Litteris Humanioribus*, earumque virtutibus; atque de *Philologia* generatim, de *Poetica*, de *Poeſi*, de *Hiſtoria*, &c. ratio a nobis reddenda erit.

(*fff*) Mr. Juvenal de Carlencas *in Tentaminibus de Bonarum Litterarum Hiſtoria.* Voſſius *de Hiſtoricis Graecis*, Lib. I. Cap. I. Walchius *in Diatribe Philoſophica de Litteris Humanioribus*; Georgius Schubatier; Gravina. Flavius Joſeph. Lib. I. contra Apionem. Fleurius *de Ratione Studiorum.*

(ggg) Walchius *in Hiſtor. Critic. Ling. Lat.* C. II. *De Stili Cultioris Romani Ratione*, §. XVI. Vorſtius *de Latinitate merito ſuſpecta.* Cellarius *Cur. poſter.* Proleg. p. 7. et Cap. V. p. 172.

(*hhh*) Quintilianus Lib. I. *Inſtit. Orat.* Cap V. Walchius loco ſuperius memorato §. XVII.

(*iii*) Walch. loco ſupra memorato §. XIV. multique alii de hac re ab ipſo Walchio commemorati.

(*kkk*) Walchius *in Diatribe Philoſophica de Litteris Humanioribus*, quam adire operae pretium erit. Cicero, Aulus Gellius, Voſſius, Grevius, Suetonius *in Auguſto*, Cap. LXXXIX. *in Caligula*, Cap. LIII.

*Minus ſunt ferendi, qui hanc Artem, ut tenuem ac jejunam cavillantur. Quae niſi Oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quicquid ſuperſtruxeris, corruet: neceſſaria pueris, jucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes; et quae vel ſola, omni Studiorum genere, plus habeat operis,* (hoc eſt ſolidae ac verae eruditionis et utilitatis) *quam oſtentationis.*

Quintilianus Lib. I. *Inſtitut. Orat.* Cap. IV.

~~L 3206 8~~